

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De Arsenico. Cap. XXIX

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

& rectificat omne corpus: quoniam est alumen & tinctura. Difficillime quoque solvitur, quia non habet partes balsuginosas, sed oleaginosas, quæ non faciliter in aquam solvuntur. Quæ autem facile & quæ difficile solvuntur in aquam, infra in capitulo solutionis monstrabimus satis aperte. Sublimatur vero, quia spiritus est, & si quando commisceatur veneri & adunatur secum, fit mirabilis color violaceus: cum mercurio quoque miscetur similiter, & fit ex eis per decoctionem celestinus color delectabilis. Non putet ergo quis, quod sulphur per se opus compleat. Non enim esset hoc credere nisi vanum. Hoc autem satis lucide probamus in sequentibus. Eligitur autem crassum & lucidum. Et de sulphure hæc dicta sufficiant.

*De Arsenico.*

CAP. XXIX.

**R**estat nunc de Arsenico terminare ad præsens. Dicimus autem quod Arsenicum est similiter de subtili materia & in natura sulphuri confine. Idcirco non oportet aliter definiiri quam sulphur. In hoc autem diversificatur à sulphure, quia est albedinis tinctura, sulphur vero rubedinis. Est autem sulphuris & arsenici duplex genus, scilicet citrinum & rubeym, quæ sunt

sunt huic arti utilia : reliqua autem multa genera non. Figitur autem arsenicum sicut sulphur, & utriusque sublimatio ex metallorum calcibus melior est, ut infra dicitur. Non sunt autem sulphur & arsenicum materia perfectiva hujus operis. Non enim complent nec perficiunt. Sunt autem adminicula in casu. Eligitur autem lucidum & squamosum, & non petrosum.

*De argento vivo.*

C A P. XXX.

**A**rgentum vivum, quod etiam Mercurius appellatur, antiquorum usi est aqua viscosa, ex subtilissima terra alba sulphurea, & aqua clarissima in visceribus terræ calore naturali digesta & unita per minimam unione fortissima quousque humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido, æqualiter procreata. Ideoque fugit superficiem planam de facili propter suæ aquæ liquiditatem & humiditatem, non autem adhæret tangenti licet viscosam materiam habeat : & hoc propter siccitatem illius inclusam in ipso, quæ humiditatem contemperat & adhærere non permittit. Est autem secundum aliquos ex veteris prælis materia metallorum cum sulphure. Adhæret quoque tribus mineralibus de facili Saturno videlicet, Jovi & So-